Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31660
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Cum enim rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Quae ergo spes est, nisi superexaltet misericordia iudicio? Ipse Sed erga illos qui misericordiam fecerint, veraciter dicendo: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus; et sine murmuratione dando. Hilarem enim datorem diligit Deus. Ex sermone de bla.

Spiritu ferventes, domino servientes. ph sps s.

Ait Iohannes inter cetera quae locutus est ad eos qui venerant ut ab illo baptizarentur: Ego quidem vos baptizo in aqua in paenitentiam; qui autem post me venturus est fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare. Ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni. Quod autem dixit et igni, posset intellegi et tribulatio, quam pro nomine Christi credentes fuerant perpessuri. Tamen non absurde est eundem spiritum sanctum etiam nomine ignis significatum videri. Propter quod et in adventu eius dictum est: Visae sunt illis linguae divisae velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum. Hinc et ipse dominus ait: Ignem veni mittere in mundum. Hinc apostolus dicit: Spiritu ferventes. Quoniam hinc caritas fervet. Diffunditur quippe in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Cui fervori contrarium est quod dominus ait: Refrigescet caritas multorum. Ex tractatu psalmi c.iiii.

Eloquium domini ignivit eum. Merito spiritus sanctus quando a domino missus est, visae sunt illis linguae divisae velut ignis. Et apostolus dicit: Spiritu ferventes. A quo igne discedunt de quibus dicitur: Refrigescet caritas multorum. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Ex tractatu psalmi lxxxiii.

In magna videtur tristitia esse cum dicit: Concupiscit et deficit anima mea in atria domini. Non enim habet quod desiderat. Sed numquid sine gaudio est? Quo gaudio? Quod ait apostolus: Spe gaudentes. Ibi iam re gaudebit, modo adhuc spe. Ideoque spe gaudent, quia certi sunt se accepturos. Tolerant in torculari omnes pressuras. Propterea et ipse apostolus cum dixisset: Spe gaudentes, quasi his loqueretur qui iam in torculari sunt, statim addidit: in tribulatione patientes. In tribulatione, inquit, patientes. Quid deinde? In oratione tolerantes. Quid est tolerantes? Quia differimini. Oratis et differimini; tolerate quod differimini. Toleretur quod differtur, quia cum venerit non aufertur. Ex tractatu psalmi c.xxvii.

Quod sequitur: Labores fructuum tuorum manducabis. Modo labores habemus, fructus postea erit. Sed quia et ipsi labores non sunt sine gaudio propter spem, de quo dicit apostolus: Spe gaudentes, in tribulatione patientes: modo nos ipsi labores nostri iocundant et laetos nos faciunt de spe. Si ergo labor noster potuit manducari et potuit iocundare, manducatus fructus ipsius laboris qualis erit? Manducabant labores suos qui euntes ibant et flebant mittentes semina sua. Quanto iocundius manducabunt fructus laborum qui venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos. Et ut noveritis fratres quia manducatur labor iste, in superiore psalmo audistis dictum: qui manducatis panem doloris. Iste est labor fructuum, panis doloris. Nisi manducaretur non diceretur panis. Non autem haberet aliquam suavitatem panis iste, nemo illum manducaret. Cum tanta suavitate plorat in gemitu qui orat. Dulciores sunt lacrimae orantium quam gaudia theatrorum. Et audi flammam desiderii qui manducat ipse panis: ipse panis. de quibus dicit: qui manducatis panem doloris. De pane doloris. Alio loco dicit amans iste, cuius vocem plerumque in psalmo agnoscimus: Factae sunt mihi lacrimae meae panis die ac nocte. Unde factae lacrimae panis? Dum dicitur mihi cotidie: Ubi est deus tuus.

Omnium superba. Ex epistola ad Macedonium.

Iactantia si beata vita est in cruciatibus